



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2189. Abtretung des Schlossen Schiedlo und des Landes Crossen von
Polen an Meissen, vom 20. April 1249.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

mines ipsorum, tam flavi quam teutonici, ab omni exactione telonei et vngelt per totam terram nostram, tam in terra quam in aqua, in foro videlicet, in pontibus, urbibus et navibus. Precipimus etiam quod preceptum est similiter omnibus sub culmine nostre potestatis degentibus, ut solerti custodia studeant observare, ne ab ullo pestilente quolibet dampno, sive clam sive palam illato familiariter nobis dilecti hujus ecclesie Canonici vexentur, quia reus, si detectus fuerit, capitali sententie subiacebit. Privilegium quoque fundatoris ecclesie cum sigillo appenso secundum supra dicta vidisse et audivisse scriptis et sigillis confirmando protestamur. Testes vero huius sunt dominus Conradus, caminenfis prepositus, dominus Nicolaus, abbas dargunensis, dominus Henricus pozwolcensis prepositus, Petrus havelbergensis Canonicus, Lambertus Notarius domini Barnim, Eggelbertus de Cobandin et Ecbertus frater suus, Sacerdotes; Comes Guncelinus de Swerin, Comes Henricus de scouwenburg, dominus Thedleuus de Godebuz, Johannes turiggus, et Bertoldus frater suus, Johannes de Walflene et frater suus albertus de insleue, Liborius de Duchou, Nicolaus de brelin, milites et alii quam plures clerici et laici Cristi fideles. Datum Dimin, anno domini M^oCC^oXL^o quarto, VI^o Kal. Junii friderico imperatore regnante Amen.

Nach dem Havelberger Copialbuche des Geh. Staats Archives fol. 8.

2189. Abtretung des Schlosses Schiedlo und des Landes Croffen von Polen an Meissen, vom 20. April 1249.

Nos Henricus, dei Gratia dux Polonie, recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, quod cum Henrico, marchione Misnensi, concordavimus in hunc modum, quod nobis contra fratrem nostrum astabit et numquam concordabit cum ipso, nisi hoc fuerit de nostra conscientia et etiam voluntate et nec nos hoc sine sua voluntate aliquatenus faciemus. Si autem inter nos et fratrem nostrum secundum consilium hominum suorum et nostrorum concordiam poterit ordinare, in hoc nos suam sequemur per omnia voluntatem, et si non possit nos per amicitiam aliquatenus concordare, nos juvabit, ut terram fratris nostri recuperare possimus, qua recuperata ipsi marchioni presentabimus Croznam civitatem et castrum et terram ad Croznam pertinentem, uel totam terram inter Quiffum et Pobram usque ad silvam, que est inter Lewinberch et Nuenburc super Quiffum, que silva protenditur usque ad montes Boemie, et hoc in optione sua existet, quam ex his duabus terris eligere affectabit. Promissimus insuper marchioni eidem, quod centum et quinquaginta marcas auri vel in estimatione tantum argenti Misnensis ponderis sibi solvemus, medietatem in Octava Pentecostes et aliam medietatem in festo Johannis baptiste. Idcirco idem nobis promisit, quod singulis annis cum expeditione sua terram semel intrabit personaliter fratris nostri, secundum quod nobis et eidem videbitur expedire, nisi legitima causa ipsum ex-

cuset, tunc enim homines suos mittet et hoc nobis in auxilium faciet, dummodo a nobis sex septimanis antea commonitus habeatur. Ipsi etiam et suis quamdiu ibidem fuerint expensas ministrabimus integraliter ac perfecte. Preterea idem Marchio nobis tenebit sexaginta armatos interim quod prelium nostrum durat in Marchia Lusicensi vel in Zarowe, secundum quod nobis magis utile fuerit et acceptum. Si vero fratri nostro B. de terra teutonie ultra ducentos armatos in auxilium venerint, idem Marchio armatos totidem nobis mittet, ut terram nostram defensare possimus. Et si aliquis princeps teutonie cum potentia contra nos veniret, idem Marchio ad defensionem intrabit personaliter terram nostram, nisi ipsum legitima causa excuset, et tunc homines suos mittet, ut eandem terram nostram suo possimus auxilio defensare. Si autem pauciores quam ducenti eidem fratri nostro in auxilium venerint, marchio illos homines, quos in confinio habet polonie, in subsidium nobis mittet. Preterea castrum Scidelowe ipsi Marchioni presentabimus ante festum beati Johannis baptiste, quod si non faceremus, trecentas marcas argenti Misnensis ponderis sibi in festo Michaelis solvemus. Si vero castrum Scidelowe per se obtineret et per amiciciam ab Andrea, qui nunc idem possidet, haberet, tunc nos eidem Andree et suis servis restaurum in bonis nostris propriis in feodo triginta duarum marcarum faciemus, quod feodum jam a dicto marchione jure optinent feudali, et nihilominus nos eidem marchioni trecentas marcas solvemus. Preterea nullus Ministerialis vel vasallus Marchionis ipsius contra nos dicto fratri nostro astabit. Quodsi fieret, marchio erit inimicus illius, sicut nos fuimus atque sumus. Datum Misne, Anno Domini M^oCC^oXLVIII^o, XII. Kalendas Maji, Septime indictionis.

Nov. 2. v. Ledebur's Allg. Archiv VII, 61.

2190. Markgraf Otto stiftet die Stadt Stargard, am 11. Januar 1259.

In nomine Domini amen. Otto, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, omnibus in perpetuum. Temporum mobilitas et humane conditionis instabilitas exigit, ut ad notitiam posterorum gesta precedentium commissa commaneant, ne per oblivionem, que est posteritatis inimica, veritas obnubiletur et dubii questio generetur. Hinc est, quod constare volumus tam presentibus quam futuris, quod nos oppido Stargarde adjecimus quinquaginta mansos, quos agriculture deputamus, sub hac forma, ut de quolibet manso tres solidi Brandenburgensis monete nobis annis singulis exsolvantur. Insuper adjecimus sedecim mansos, quos pascuis assignamus, ad communem utilitatem burgensium nostrorum, commodum et profectum. Volentes etiam burgensibus nostris in dicto oppido nostro commorantibus gratiam facere specialem, eisdem indulgemus, quod de rebus minoribus, piscibus recentibus scilicet, butyro, caseis, pullis, ovis, pultibus et ceteris leguminibus, lino et panno lineo et aliis rebus minoribus nulli omnino hominum ad danda thelonia teneantur. Si vero aliqui ejusdem oppidi burgensibus pisces, halec vel aliquas alias merces spe lucri et profectus in ipsum oppidum adduxerint,